ACAD. LUGD. BAT. BIBL.

Illustri Viro
CONSTANTINO HUGENIO, Equiti &c
Adolfus Vorstius S.P.

Exprimere, Nobiliss. Domine, verbis non possum quantum mihi gaudium attuleris, quod me ante octiduum ducere dignatus sis ad magnum Ducem, ex America reducem, Illustrissimum Mauritium, eiusque splendidam & invidendam aulam. In qua ea avidissimis oculis usurpavi, ea auribus excepi attentissimis, pendens tecum narrantis ab ore viri & heroïs incomparabilis, quæ stuporem utrique incusserunt maximum. Erupit recens admiratio tua, sine mora, in Iambos extemporales, doctos, Jupiter, & laboriosos; quibus ex me quæris, qualis visus mihi sit ὁ λοζεφὴς iste Comes, quidve censeam de omni eius gaza transmarina. Prævisti, ô dulce decus meum, ac magna proinde cura me exolvisti. dixisti enim prior sententiam tuam, metris inclusam elegantissimis, quæ pariter & mea est. equidem quî fiat nescio, quod iudicia nostra, de personis ac rebus iisdem, ferè semper conveniant. Neque præ adulatione, à qua alienissimus sum, hæc scribo, aut quia plusculum mihi arrogo, sed quia ita sese res habet. Ex animo & sine fuco loquar, amicissime Hugenî, non tam miratus ego sum Occidentis opes, & quidquid cælum, maria, tellus istic producunt aut elegans, aut monstrosum, in nostrum orbem summa cum diligentia translatum ab Excellentissimo Nassovii sanguinis Comite, quàm virtutes illius heroïcas, rebus feliciter gestis spectatas, & in tanta fortunæ faventia, tanto honorum cumulo, animum benè compositum, comitatem inusitatam, gravitatem principe dignam, &, quod plerique magnates hoc seculo parvifacere videntur, eruditionis, elegantiæque omnis, & eruditorum amorem singularem. Verbo ut absolvam, ipse mihi visus est ædium suarum præcipuum esse ornamentum. Quàm recreavit me conspectus tot pictarum affabrè plantarum, quas soli sibi vendicat America? quàm piscium, quadrupedum, avium, insectorum? qua humanitate assidentibus inspicienda porrigebat singula præclara illa dextra, ad cuius oscula iampridem se demisit totius Occiduæ Indiæ fastus barbaricus? qua oris facundia, quibus sermonum condimentis omnia reddebat acceptiora? facilè ut animadverteres, non ignarum aliquem aut parùm idoneum tantarum opum eum esse possessorem, sed totius Naturæ arcanorum intelligentissimum. Ædificia, munimenta, oppida, amœnissimarum Brasiliæ regionum situs,+ cuncta vivis coloribus artificiosissimi in tabulis expressa, quantum nobis pepererunt voluptatis? Nec pictis tantum aut fictis nos pavit imaginibus magnus Heros, verùm & res ipsæ exhibitæ, quas repræsentabant. Quanta vis eboris rudis simul sculptique? quanta lignorum pretiosissimorum,

+ & vasto continenti insula Mauritiana ponte iuncta longissimo,

Hug. 37.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Voorst) 3
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/3853

pellium rarissimarum, cornuum, plumarum variegatarum, uno in loco conspicie-
batur? quo artificio è versicoloribus avium Indicarum plumis concinnata
erant nobilioris lecti παραπετάσματα illa & ornamenta? Avis certè illius ad-
mirandæ oblivisci non possum, cui pro lingua pluma est; ubi nec cornigeræ
alterius. Quanquam Europa nostra talium quoque ferax sit, & principum ferè
aulas, ut optimè nosti, id genus avium insideat. quod partim testari illi
possunt, qui, mera blandiloquentia ac bÿssinis verbis benè delibuti, inanes
istinc domum remittuntur, & speratis bonis læti hiantesque excidunt: partim
non ignorant ij, quorum magnus passim & ubique locorum est numerus, quibus
uxorum suarum à mæchis ita strenuè exercentur inguina ac fodiuntur, ut
herba illa σατύριον, quam cum risu nobis ostendebat Illustriss. Comes, mirificè
ijs ex usu foret. dolendumque sit, non integra eius advecta esse plaustra, quo
& hisce, & toti Venereæ cohorti, quæ Hagæ tuæ Vocalis famosiora illa incolit
loca, prospectum esset abundè. Nihil non suave & iucundum apud Heroëm
vidimus, tractavimus, gustavimus, si acetum illud acre & δριμῶδες pipere
Brasiliano conditum, excipias: quod nec tuo nec meo respondebat palato.
mirabar iudicium tuum, quum lagenam eius oblatam, tanquam δῶρον ἄδωρον,
humaniter repudiares; quod secundus à te etiam ausus sum facere. Sed quid tibi
cum mordaci illo & exotico aceto, qui domestico abundes [illegible], quo
dignos perfundere soles, ut epigrammata tua, cum antiquitate certantia, satis
superque probant. Fortassis, si coniecturæ locus est, innuere voluit hoc ipso
maximus post Celsissimum Arausionensem bellator, non totum se saccharinum
esse ac tractabilem, sed acetum quoque in pectore gerere, si ita res ferant. Omnia
quæ meminisse poteram ex tam infinita rerum copia, conieci in hanc epistolam.
Unum tamen est quod studio omisi, pertinens ad Baptistæ Portæ τὰ φυσιογνω-
μονικά, quod soli & in aurem dicam, proximo congressu. Ne verò sim
φορτικὸς nimis nimia prolixitate mea, desinam, vir humanissime Hugeni,
in gratiarum, quas tibi debeo, actione, quod beneficium verbis Leidæ nuper
initum, reipsa comprobaveris, mihique patrij & ὁδηγοῦ vicem præstiteris
gratissimam. Meminero semper istius diei, loci, heroïs, tuique; nec desistam
quavis occasione utriusque deprædicare virtutes. Versio tua ἔμμετρος Belgica
Pyramidis, quam Latino carmine, in ijs poëmatibus tuis, infelici Straffordio,
publicique odij victimæ, erexisti, placuit, perplacuit. Nec habeo quod adijciam
doctissimi Barlæi, & Mudensis Satrapæ iudicijs, quos penes huiusmodi elegan-
tiarum est arbitrium. Contuli cum ampullosa Amstelodamensi illa, & comperi
[illegible]. Epigramma

nobilis

nobilis & eruditæ Virginis, Annæ Schurmannæ, libro inscriptum, ab eodem divino tuo ingenio est. Ubi Traiectum venero, quod forte fiet propediem, urgebo illam ut respondeat. Beasti me tot versibus tuis ad stuporem usque elegantibus; & sic solos amicos, quos inter me habere tibi visum. Si fores unquam pepulissem poëticas, responderem aliquid τῷ αὐτῷ κορυφαίῳ. Sed Ciceronis hoc habeo, quod non nisi malos versus scribo, idq; toto vix quater anno. Rancidum tamen hoc admitte distichon, quod ἀμηχανίᾳ laboranti excidit.

Οὐ πάντων ἐστὶ ποιεῖν Ἐπίγραμμα τέλειον·
Ὑγένιος ταύτῃ ἔξοχος ἐς ἀρετῇ.

Non omnes possunt Epigrammata scribere tecta:
Hac sese HUGENIUS præstat in Arte virum.

Vale & Salve, magne Constantine, cum minore Constantino tuo, qui, ut cæteras eius ingenii dotes nunc subticeam, felicissime nuper in dialogo Græco cœpit λακωνίζειν ἢ ἀττικίζειν. Prope abest ut gratulabundus illi dicam, Οὐκ Ἀπόλλωνος παῖς, ἀλλ' Ἀπόλλων αὐτὸς εἶ. Deus Opt. Max. & hunc summæ spei, summæ indolis adolescentem, & cæteros quibus fortunatus es, liberos tibi servet incolumes diu, teq; illis ac mihi. Vale iterum & me ama, qui te æstimo ac colo. Lugd. Bat. Aº CIƆIƆCXLIV XX Xbris.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Voorst) 3
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/3853